~~Aum~~ temporis, et inopem urbem rehedificantes ad propria regressi sunt. Sed priusquam Christiani ad liberandam Ierusalem terra vel mare proficiscerentur, contigit, ut adeo hec signa premonstrarentur, videlicet ut celum stellas velut aquam plueret, et signum comate stelle suos ignes monstraret, et celum in parte septentrionali velut ardere omnibus appareret. Terrestris autem Christianorum exercitus cum ad liberandam Ierusalem proficisceretur, grandia, et innumera contra paganos iniit certamina. Quibus triumphatis, et devictis omnibus, Christi milites Nicean, et Antiochiam urbes fortissimas ceperunt et ad Dei gloriam detinuerunt. In Antiochia etiam Lanceam que Domini latus perforaverat in ecclesia beati Petri invenerunt. Quam Raymundo comiti Sancti Egidii velut Christiani exercitus signifero commendaverunt. Ipsius autem Christiani exercitus duces et principes extiterunt: episcopus Sancte Marie de Podio, vir prudens, et fortissimus, quam pluribus sui ordinis sibi coherentibus, Et predictus comes Raymundus